

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula I. Includens perfectius est quolibet incluso

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Regularum Philosophicarum

DISPUTATIO XXI.

CONTINENS

REGULAS IIX.

è quibus quatuor pertinent ad doctrinam

DE BONO & MALO.

quatuor ad doctrinam

DE PERFECTO.

Conjungimus cum Bono & Malo perfectum & imperfectum, propterea, quod cum bonum dupliciter dicatur, alteri scilicet, & *in se*; bonum *in se* spectatum, consistat in perfectione, cui opponitur imperfectio.

REGULA I.

Includens perfectius est quolibet inclusò.

I. Obstat I. quod homo cæcus includit hominem, nec tamen homo cæcus est perfectior homine. II. Christus, tanquam persona composita, includit τὸν λόγον & humanam naturam; Christus tamen, ut persona composita, non est perfectior τῷ λόγῳ, cum impossibile sit, ut quid Deo sit perfectius.

II. Resp. Dicendum est, quod, cum quodlibet includens, comparatum cum quolibet incluso, ipsi aliquid superaddat, seu aliquid ultra id includat, (quandoquidem includens semper plura im-

per.

portat eò, quod includitur) possit id duplliciter fieri. Nam vel id, quod ultra inclusum, cum quò comparatur, includit, aliquam importat perfectionem; quomodo caput includit nasum, quia ultra eum includit oculos, aures, &c. quæ positivum quid sunt, & certam perfectionem obtinent, vel nullam importat perfectionem, sed potius imperfectionem quomodo homo cæcus includit hominem, quia cæcitas, quam ultra hominem solam includit, privatio est cujusdam perfectionis, nempe visus, non perfectio.

III. Jam dico: includens perfectius est quòlibet inclusò, si scilicet id, quod præter ipsè includit, perfectionem importat. Addendum & hoc, nisi illud, quod includit, & cum quo comparatur in perfectione, sit perfectionis infinitæ: quod enim perfectionem infinitam habet, eò nihil perfectius cogitari potest.

IV. Atque inde patet responsio ad ea, quæ §. I. fuerunt adducta. Quod enim in illis non valeat Regula, causa est, quod id, quod homo cæcus præter hominem includit, non perfectio, sed negatio perfectionis est, & quod ο λόγος est ens infinitæ perfectionis.

V. Zimara theor. X. statuit, formam esse perfectiorem compositione. At contra hoc est Aristoteles II. de animâ t. 2. ubi comparans corpora, quæ composita sunt, cum materiâ & formâ, dicit, ea esse maxime substantias. Et argumentamur nos ex nostra Regulâ:

Quic

Quicq
ipso
one
Sed con
ultra
fecti
incl
ctio
ced
sitiu

Ergo co
Plura hæc

XV. f. VII

VI. Fu

tele I. Rh

nauctorib

im borum

quod supe

Includens

tar, & in e

illis, quæ

clusum: u

ta ut ani

mo &

Quicquid ita aliquid includit, ut id, quod ultra ipsum includit, importet quandam perfectionem, illud ipsò est perfectius.

Sed compositum ita includit formam, ut id, quod ultra eam includit, importet quantum perfectionem: compositum enim ultra formam includit materiam, quam etsi Zimara perfectionem ullam dicere neget, id tamen concedi non potest, cum materia sit aliquid positivum, quod sine perfectione esse nequit.

Ergò compositum est formam perfectius.

Plura hanc de re vide apud Suarez, *disp. Metaph. XV. §. VII.*

VI. Fundatur autem Regula nostra in Aristotele *I. Rhet. VII* ubi dicit, *ne cesse esse plura uno & paucioribus, connumerato uno vel paucioribus majorum esse.* Et addit rationem: *propterea, quod superat, at quod inest, superatur.* Atqui

includens respectu cujuslibet inclusi plura importat, & in eo, scilicet in includente, vel in pluribus illis, quæ includit, connumeratur quodlibet inclusum: ut homo plura importat, quam anima, ita ut anima connumeretur, (includit enim homo & animam & corpus) includens ergò

est majus bonum, quam quod-

libet inclu-

sum.

REGU.

Quic